

quæ ab antiquo reliqua est ignorantia, aut in præsentem ætatem error transiit vel falsitas; ignorantiam excutit, errorem corrigit, falsitatem damnat hodierna indoles. Amicus sit Plato, amicus sit Aristoteles, & amicus Socrates; sed magis nobis amica sit veritas, cujus ea est natura, ut ipsa per se in animos hominum sese insinuet, & modò repente vim suam exserat, modò tenebris obtecta longo tempore, ad extremum suapte vi ipsa vincat, & de errore triumphet. Inde Romuli Nepotum omnium disertissimus Cicero, non abs re dixit; *tantam semper*, inquit, *potentiam veritas habuit, ut nullis machinis aut cujusdam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit.* Et licet in causis nullam Patronum aut defensores obtineat, tamen ipsa per se defenditur. Quæ eum in finem adduximus, ut benevolo Lectori constaret, nos in præsentem negotio de QUARTA FIGURA GALENI nullâ authoritate pugnaturos; sed Scapham scapham appellatuos. Bene enim novimus scriptum quoddam Anonymi cujusdam, non ita pridem editum, tantam vim & virtutem huic quartæ Figuræ attribuere, ut eam solam legitimam pronanciet, reliquis tribus Figuris tanquam erroneis, illegitimis ac spuris rejectis: quo de infra ulterius dispiciendi occasio dabitur.

Tu vero summe rerum Arbitrator, conatui nostro clementissimè annue! Sit itaque

THESIS. I.

Intellectum nostrum in notitiis rerum acquirendis, Syllogismo tanquam instrumento uti, nemo hominum sanioris mentis facile inficias ibit, quandoquidem & homines inertissimos atque ignorantissimos syllogisticè ratiocinari comperiamur. Non abs re ergò fore existimamus, si, quid distet Galenicus Syllogismus à Peripateticis, ponderemus.